



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

3. In quibus causus præstandum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

causis ab eis repeti supervacaneum visum sit : & Justinianus in *d. l. Rem non novam in princ.* sumere putavit, si Judices, tum ad judicandum minus assumuntur, hoc juramentum generaliter præstent. Et talem consuetudinem, ob perveritatem hominum magis hodie de calumnia committenda, quam vitanda, jurantium maximum si excedat hominum memoriam valere posse existimat Gaill. *cum aliis quos citat. l. Observ.* 85. Alias consuetudinem disponentem, quod possit procedi in causa absque juramento calumniæ, non valere, tenet Mathefi *Sing. 75 n. 1.* Menoch. *De arbitrarij lib. 1. quest. 20. num. 4.*

§ III.

In quibus causis præstandum sit.

1. *Præstari debet in omnibus causis, etiam appellationis.*

2. *Et in qualibet parte litis exigere potest.*

1. **P**ræstandum autem est hoc juramentum indifferenter in omnibus causis, sive sint civiles, sive criminales, sive mixtæ, *arg. l. 1. in princ. Cod. eod. l. fin. Cod. De fide instrument. Abbas in c. 1. n. 12. & seq. h. t. Menoch. d. loc. n. 7.* sive de iis summarie seu de plano, absque figura & strepitu Judicii sive plenarie & servato ordine judicagatur, *Clement. Sape De verb. signif. Menoch. d. loc. num. 1.* sive sint profanæ, sive spirituales, ut cum agitur de decimis, de jure patronatus, & id genus aliis, *c. Caterum hoc tit. cap. 1. in fine eod. in 6.* licet olim in causis spiritualibus non nisi de veritate dicenda juraretur, *cap. Litteras hoc t.* quia, inquit Pontifex tales causæ non ex legum distributione, sed ex Canonum æquitate finem debitum sortiuntur : Et præsumit Canon, actorem vel reum in causis ejusmodi calumniari non velle, cum agatur de rebus, quæ Dei sunt, quem nihil latere potest, & qui inter juramentum & simplicem loquelam nullam vult esse distantiam, *can. Juramenti xxii q. 5.*

Licet autem in principali causa & prima instantia semel juratum sit de calumnia, nihilominus adhuc in causa appellationis jurandum est : & de veritate dicenda, *d. cap. 1. in princ. eod. in 6.* quia causa appellationis alia est à prima, *Barcol. in l. Cum iudices num. 7. Cod. eod.*

2. Præterea licet regulariter statim à lite con-

testata præstetur : tamen, quia est de ordinis judicarii substantia, potest à Judice in qualibet parte litis exigere, *c. 1. & 2. eod. in 6.* etiam post conclusionem in causa, *Glossa in c. Ex litteris in V. occultata inf. De jurejurando, Gaill. l. observ. 74. n. 6.* Sed & in iis, quæ emergunt antelitem contestatam, & in qualibet exceptione juratur de calumnia, *secundum Barr. in Auth. Hoc sacramentum C. eod. Abb. in c. Cum Cassam 17. h. t.* Sufficit tamen semel præstare, sive ante sive post litem contestatam, quia, cum sit generale ad totum negotium se extendit, *d. Auth. Hoc Sacramentum, Abbas d. loco.*

§. IV.

De pœna jurare subterfugientis.

1. *Actor ab actione sua cadit, & reus pro confessio habetur.*

2. *Antesententiam tamen judicis declaratoriam purgationis locus est.*

3. *In spiritualibus acta pœna locum non habet.*

4. *In procurator an habeat, quaritur & affirmatur.*

5. *Quadruplex est juramentum.*

1. **P**œna recusantis hoc Juramentum, cum præstandum fuerit, est, ut quidem actor quasi improbus litigator ab instituta actione & causa cadat, *c. fin. h. t. l. 2. §. quod actor Cod. eod.* accedente tamen sententia Judicis absolutoria rei, ut constat ex locis allegatis, in quibus verbum cadat, est futuri temporis, nec inducit canonem latæ sententiæ. *Glossa ibid. Gaill. l. Observ. 87 n. 1.* at verò reus, habeatur pro confessio, *d. l. 2. §. fin. autem reus, & d. c. fin. & per sententiam Judicis definitivam actori, juxta libelli petitionem, condemnatur : cum in confessum non sint aliæ partes Judicis, quàm in condemnando, l. unica C. De confessis, & ibi Glossa in V. solvere.*

2. Ex eo autem, quod utroque casu requiratur sententia Judicis, sequitur, quod actor vel reus, ante hujusmodi sententiam à Judice latam, possit contumaciam suam purgare, & pœnam hanc evitare, præstando juramentum calumniæ : quodque, si ante ejusmodi sententiæ prolationem moriatur actor vel reus, pœna illa, tanquam nondum commissa (cum non incurtatur ipso jure) non transeat ad hæredes eius, *l. Eos qui in princ. D. De jure fisci Gaill. d. Observ. 86.*

T 2

3. Insu-